

quo Deus statuit, ne miracula apud illos fiant, tam impossibile est fieri miracula quam hominem habere alas; ergo Deus illud nequit habere.

Item repugnat Deum habere duo *absoluta* decreta, quorum altero velit effectum esse, quantum est ex parte sua, et altero etiam nolit eundem esse, quantum ex sua parte est: sed per decretum de objecto conditionato quasi profitetur Deus, se velle talem effectum, quantum in ipso est; per decretum vero omnino absolutum, quo simpliciter non vult conditionem poni, plane profitetur nolle se, quantum est ex parte sua, ut talis effectus ponatur; ergo repugnat, Deum simul habere decretum absolutum non ponendi conditionem, et aliud decretum aliquid faciendi, si talis conditio ponatur. Denique indigna est prudenti testatore hæc voluntas: si digito cælum tetigerit, lego Titio centum; et hinc legatum hoc pro nullo a JCtis reputatur; ergo erit indigna Deo illique repugnans voluntas, qua v. g. statuat: si, non obstante decreto, quo absolute et simpliciter statui, ne miracula apud Tyrios fiant, apud eosdem miracula futura sint, ego decerno convertere Tyrios.

2°. Repugnant circa futura, quæ ex conditionatis transibunt aliquando in *absoluta*; nam juxta Auctores necesse foret ponere duo decreta *absoluta*; alterum, quo statuerit Deus, ut talis effectus fiat, si talis conditio ponatur; alterum, quo absolute statuatur conditionem poni et effectum sequi. Hæc duo decreta imprimis non possunt *simul ratione* esse in Deo; quia impossibile est, in eodem subjecto simul ratione esse voluntatem simpliciter absolutam de aliqua re faciendam, et voluntatem de eadem re faciendam, si hæc vel illa conditio ponatur; cum illa sit voluntas circa aliquid faciendum simpliciter et sine ulla limitatione, hæc vero non simpliciter, sed tantum sub conditione. Deinde ex his decretis unum non potest aliud *præcedere* vel *sequi ratione*. Inter decreta enim divina non est ordo prioris et posterioris, nisi quando unum necessario supponit alterum: sed neutrum ex his supponit necessario alterum; tum quia decretum de objecto conditionato haberi de facto potest sine simpliciter absoluto, ut accidere dicitur in futuris mere conditionatis: tum quia, licet nullum decretum conditionale præcessisset, quo Deus statuerit convertere Tyrios, si fierent miracula; Deus tamen posset absolute velle miracula facere, et Tyrios convertere; cum Deus causa libera sit, et habeat omnia ad volendum necessaria; ergo hæc decreta a se invicem non pendent; ergo unum ratione non præcedit alterum; ergo cum nec ratione simul possint esse in Deo, nullo modo Deo insunt.

Conf. Sequeretur ex opposita sententia de *mere conditionatis* 1°. Nullum effectum ad extra ex decreto subjective absoluto, sed objective conditionato resultare; cum tamen nullus in Deo admittendus sit actus liber, nulla sincera voluntas aut decretum sine aliquo effectu ad extra in creaturis, ne Deus dicatur vana et futilia emittere decreta. 2°. Cum infinita pene sint, quæ futura essent circa quamlibet rem posita aliqua conditione, necesse foret, ut in Deo admittantur actu et positive infinita decreta pro rebus nunquam futuris: quod sane inutile et otiosum est, atque a recto usu prudentiæ alienum sicut in homine, ita multo magis in Deo. 3°. Necessitarentur Adversarii ad *scientiam mediam*, quam tamen ut effugiant, hæc decreta sine ulla Scripturæ, Patrum et Scholasticorum antiquorum auctoritate confinxerunt. Nam scientia, qua Deus in decreto actuali cognoscit conversionem Tyriorum futuram, si fierent miracula, non est *scientia simplicis intelligentiæ*; quia

hæc est in Deo ante omnem actum liberum voluntatis divinæ, illa vero non nisi post illud decretum liberum: neque etiam esset *scientia visionis*; quia hæc non terminatur nisi ad rem aliquando futuram, cum visio sit rei pro aliqua duratione præsentis; per illam autem scientiam nihil cognosceret Deus, quod aliquando sit futurum. Ergo scientia, quæ habetur in decreto conditionali, debet esse *media* inter illas simplicis intelligentiæ et visionis, cum de utraque aliquid participet, et ad neutram earum absolute revocari queat.

136. *Obj.* Datur voluntas in Deo salvandi omnes, quæ est decretum absolutum *subjective* et ex parte Dei, et conditionatum *objective* seu ex parte creature et objecti; ergo ejusmodi decreta non sunt absolute rejicienda. *Conf.* 1°. Sicut intellectus divinus necessario actu cognoscit quidquid et quomodo est scibile, sic et voluntas divina necessario actu decernit quidquid et quomodo est futurum; ergo actu debet dari decretum de futuris conditionatis. 2°. Ad existentiam effectus requiritur decretum proportionatum: sed effectui conditionato proportionatum est decretum conditionatum; ergo.

R. D. Cons. Non sunt rejicienda, ut futurum constituatur in esse infallibiliter conditionate futuri, vel ut in Deo detur infallibilis cognitio de tali futuro *N.* ut intelligantur promissiones divinæ, quæ nequeunt esse sine seria voluntate, et hinc sine decreto subjective saltem absoluto *C.* Decreta autem hujusmodi *objective* conditionata dicuntur, quia creaturæ liberæ sunt circa usum gratiarum a Deo promissarum et collatarum, quibus salvari possint, si velint.

Ad Conf. 1^{am}. *R. N. A. et par.* *Disparitas* est, quia intellectus est potentia necessaria, illaque scientia necessario inest Deo, ne in eo sit ignorantia et imperfectio: voluntas autem est libera, et decreta illa nullo ex capite requiruntur, imo repugnantiam dicunt et plurima absurda.

Ad 2^{am}. *D. min.* Effectui conditionato proportionatur decretum subjective conditionatum *C.* objective tantum conditionatum *N.* Sicut enim effectus conditionatus est is, qui esset, præscindendo an reipsa sit aliquando vel non sit; sic et decretum, quod esset, præscindendo an reipsa sit vel non sit, conditionatum est ac proportionatum.

Inst. Ad futurum conditionatum requiritur aliquod decretum: sed hoc non est decretum præcise *ut possibile*; quia a mere possibili nequit desumi denominatio futuri: neque ut conditionate vel absolute futurum; quia decretum Dei est incapax futurationis; ergo ut actu et absolute existens. *Conf.* 1°. In signo scientiæ divinæ de conditionate futuro vel Deo habet decretum *subjective* absolutum, vel illud omittit: sed Deus illud non omittit, neque per positivam nolitionem saltem in conditionatis aliquando in absoluta transituris, neque per omissionem pure liberam, utpote quæ Deo repugnat; ergo habet. 2°. Nequit Deus prævidere consensum conditionatum, quin videat simul concursum suum simultaneum: sed hunc nequit videre sine decreto saltem ratione priore et applicante omnipotentiam, ut concurrat; ergo etiam videt decretum ratione prius, et in eo consensum.

R. N. Cons. Quia decretum, quod requiritur et attingitur ex parte hypothesis, est conditionate existens, et per modum conditionis suspensive affectum; non autem conditionate futurum, cum non affirmetur per modum

eventus : unde cum manca sit illa divisio vel enumeratio modorum, queis decretum concipi aut esse potest, consequentia nulla est.

Ad Conf. 1^{am}. R. N. M. ob eandem rationem : datur enim medium inter dicta extrema, nempe signum indifferentiæ præscindens a decreto et omissione ejus actuali, et conditionate tantum illud enuntians.

Ad 2^{am}. R. D. M. Quin videat concursum suum simultaneum absolutum *N.* conditionatum *C.* Videt omnino Deus, sicut de ipso effectu dictum est, concursum conditionatum sine decreto absolute posito seu actu existente. Quamvis vero concursum absolutum non videt sine decreto, in eo tamen utpote indifferente nequit videre consensum, ut male in consequente addebatur.

137. *Dico III.* Deus futura hæc cognoscit immediate *in seipsis* ante et independentem ab omni decreto actuali. Ubi adverte : 1^o. quod per τὸ *ante* non intelligatur aliqua temporis prioritas, et quasi scientia conditionatorum in absoluta transeuntium foret in aliquo instanti reali, in quo nondum sit decretum actuale; quia in Deo, cum omnia sint ab æterno, nihil tempore prius est altero : sed quod per τὸ *ante* intelligatur prioritas logica et secundum nostrum concipiendi modum cum fundamento in re; quatenus subsistendi consequentia prius est decretum divinum quodcumque logice possibile, quam existens actu, sicut prius est res conditionate futura, quam futura absolute. 2^o. Quod per τὸ *independentem*, non intelligatur, posse aliquid creatum esse futurum, independentem ab omni decreto divino; sed solum quod ad futurum conditionatum qua tale non requiratur actuale decretum divinum, sed sufficit logice possibile, quod sit velut pars conditionis, sub qua res est futura; ita ut non dicat Deus : volo, ut, si fiant miracula apud Tyrios, isti convertantur; sed sic : si vellem fieri apud Tyrios miracula, eisque conferrem gratiam quam Corozaitis concessi, illi converterentur.

Prob. 1^a. p. Contingentia mere conditionate futura *in seipsis* sunt cognoscibilia; tum quia pertinent ad possible vel futura, aut ex utrisque aliquid participant; unde sicut illa sunt immediate cognoscibilia, sic et hæc : tum quia determinatam veritatem in sua futuritione formali habent; cum non minus implicet, aliquid sub conditione neque esse determinate neque non esse determinate, ac hoc implicat conditione purificata : tum quia juxta Adversarios hæc futura *in seipsis* terminant decretum divinum, adeoque et divinam cognitionem simili modo terminare possunt; cum res eo modo cognosci possit, quo potest decerni, sicut ubi decernibilitas rei est, rei etiam cognoscibilitatem esse oportet; ergo cum infinita intelligendi perfectio in Deo exigit rem cognoscere, quo modo sine imperfectione cognosci potest, et modus rem immediate cognoscendi nihil imperfectionis inducat, necesse est, Deum futura mere conditionata immediate *in seipsis* cognoscere.

Prob. 2^a. p. Contingentia conditionate futura possunt a Deo cognosci ante et independentem ab omni decreto actuali, si ad futurum conditionatum qua tale sufficiat decretum divinum logice possibile, quod sit velut pars conditionis, sub qua res est futura; quia ante quod vel independentem a quo res *formaliter* esse potest, ante id et sine eo res quoque cognosci poterit : sed ad futurum conditionatum qua tale sufficit decretum divinum logice possibile se ita habens; quia futurum ejusmodi quoad existentiam nec aliquo actu

est, nec erit, sed solum esset, si conditio purificaretur; adeoque non requirit causam seu decretum in conditione importatum actu existens; ut patet tum ab exemplo voluntatis humanæ ad actum liberum conditionate futurum requisitæ : tum *a priori*, quia causa solum requiritur ad existentiam, non vero negationem rei, adeoque sicut res nec actu existit, nec exitura est, sic nec causa seu decretum actu existens esse debet, sed solum logice possibile; ergo.

138. *Obj.* Ad effectum non minus requiritur existentia causæ, quam effectus : sed præscindendo a decreto actu existente minus existentie habet causa, quam effectus, quia effectus est saltem conditionate futurus, conditio autem seu decretum non est conditionate futurum; ergo. *Conf.* Eadem est proportio futuri conditionati ad decretum conditionatum, quæ futuri absoluti ad decretum absolutum : sed in Deo repugnat cognitio futuri absoluti non supponens decretum absolutum; ergo repugnat pariter cognitio futuri conditionati non præsupponens decretum conditionatum.

R. N. min. et prob. Decretum conditionate existens et effectus conditionate futurus habent æqualem existentiam; quia utrumque existit conditionate, cum hoc discrimine, quod effectus conditionate existat ut eventus, decretum vero ut hypothesis, seu conditio. Unde potius sequitur, si decretum actu existeret, illud plus existentie habiturum, quam habeat effectus.

Ad Conf. R. 1^a. D. M. Eadem est proportio futuri conditionati ad decretum subjective conditionatum, quæ futuri absoluti ad decretum absolutum *C.* Eadem est proportio futuri conditionati ad decretum objective tantum conditionatum, quæ est etc. *N.* Paritas præcise stat in eo, quod sicut futurum absolutum nequeat intelligi non præsupposito decreto subjective absoluto, ita futurum conditionatum non intelligatur sine decreto subjective conditionato, h. e. possibili et objective incluso in ipsa conditione, sub qua effectus conditionate futurus enuntiatur. *Disparitas* autem est in eo, quod nullum decretum actu existens debeat supponi pro futuro conditionato, ut pro futuro absoluto. Unde *R. 2^a. N. M. Ratio et discrimen* est, quia futurum absolutum actu erit in tempore; ergo etiam decretum divinum actu erit in tempore; ergo quamvis ad futurum absolutum, quantum est præcise ex parte illius, non requiratur decretum divinum jam existens ab æterno, tamen ratione Dei jam ab æterno debet esse; quia ratione immutabilitatis divinæ repugnat, ut Deus habeat decretum in tempore, quod non habuit ab æterno. Futurum autem *conditionatum* qua tale non erit actu in tempore, aut ab hoc præscindit; sed tantum esset sub conditione, si daretur causa vel occasio ad illius productionem, et consequenter si daretur decretum divinum; ergo ut tale non postulat decretum actu existere in tempore, sed tantum ut esset casu, quo effectus absolute ponendus esset in tempore; ergo etiam non postulat, ut decretum actu existat ab æterno, sed tantum ut esset vel existeret ab æterno, casu, quo talis effectus esset absolute futurus.

Inst. 1. Futurum conditionatum transit ab æterno a statu puræ possibilitatis ad statum futuritionis conditionatæ; ergo hujus transitus existit ab æterno aliqua causa. Sed hujus alia causa esse nequit, quam decretum divinum. Nam sicut omnipotentia est primum principium et causa omnis possibilitatis, sic voluntas divina mediante decreto est primum principium et

radix determinatæ futuritionis : sed transitus ille a statu possibilitatis ad statum futuritionis conditionatæ est futuritio determinata ; ergo.

R. Datis cæteris *N. min. subs.* Transitus ille ab uno statu ad alium non est realis et physicus, sed intentionalis et objectivus, consistens in eo, quod in signo primo rationis Deus videat effectum seu actum creatæ voluntatis liberum, esse possibilem seu posse poni posita tali conditione, in posteriore autem signo videat illum actum reipsa ponendum esse, si poneretur talis conditio. In hoc autem statu objectivo res ex statu possibilitatis extrahitur formaliter ratione sui, quatenus talis futura esset, si foret conditio; efficienter autem non extrahitur nisi per alienationem, quatenus talis esset vi causarum suarum non quidem operantium de præsentis et absolute, sed conditionate et tunc operaturarum, si conditio poneretur. Hinc causa cognitionis conditionalis in Deo eadem quoque ex parte objecti est, nempe ipsum esse actuale, quod res seu actus haberet formaliter ratione sui et efficienter a suis causis, si conditio poneretur.

Ad prob. *D. M.* Divina voluntas mediante decreto est primum principium et radix omnis futuritionis determinatæ, hoc sensu, quod nihil futurum sit absolute, nisi dependenter a decreto actu existente, et nihil conditionate, nisi sub conditione, si esset decretum *C.* hoc sensu, quod nihil futurum sit conditionate, nisi actu existat in Deo decretum objective conditionatum *N.*

Inst. 2. Quidquid actu est cognoscibile, actu debet esse aliquid; quia esse, et esse cognoscibile convertuntur: sed conditionate futura non sunt actu aliquid in se, sed essent, si conditio poneretur; ergo. *Conf.* Intellectus divinus est indifferens, ut sub eadem conditione videat v. g. futurum esse Petri consensum vel dissensum; adeoque debet dari ratio, cur potius videat consensum quam dissensum. Hæc vero dari non potest in nostro systemate; nam 1^o. ratio illa non est decretum divinum scientia ista prius, quod hactenus rejectum est: 2^o. non est conditio, sub qua consensus dicitur ponendus; quia hæc non petit conjungi potius cum consensu quam dissensu: 3^o. nec est ipse consensus; tum quia is secundum se est indifferens: tum quia, si quid ei determinationis etiam concedatur, non tamen est determinatus, sed determinaretur, si poneretur conditio: tum quia non habetur ratio, cur supponatur potius consensus, posita conditione, quam dissensus.

R. *D. M.* Quod actu est cognoscibile cognoscibilitate vel per se vel per species physice movente ad cognitionem, est aliquid actu *C.* cognoscibilitate tantum intentionaliter movente *N.* vel *subd.* actu est aliquid physice et in esse rei *N.* logice et in esse veri *C.* Præterea vero, si etiam permittatur, cognoscibile debere aliquid esse physicum, non tamen id esse debet pro omni, sed pro eo tantum tempore, pro quo affirmatur.

Ad *Conf. prob. 1^{am}. D.* Consensus secundum se est indifferens antecedenter *C.* consequenter et facto supposito, quod extiturus esset, si poneretur conditio *N.*

Ad prob. 2^{am}. *D.* Non est determinatus per statum et in tempore, quo affirmatur futurus *C.* per ampliationem vel alienationem et pro tempore, pro quo affirmatur *N.*

Ad prob. 3^{am}. *R.* Nos neque scimus, nisi forte in aliquo exemplo sit revelatum, neque supponimus consensum præ dissensu, sed simpliciter asserimus, si voluntas creata sub certa conditione posita consentiret, Deum

determinate videre consensum sub conditione futurum; sicut e contrario determinate videret dissensum, si dissentiret: unde minus apte exigitur, ut detur ratio, cur potius supponatur consensus. Quia tamen sub aliqua conditione posita possibilis est consensus, et impossibile est, ut neque consensus neque dissensus, aut uterque simul ponatur; hinc libere possumus assumere pro exemplo consensum, et hoc supposito de illo quæstionem hactenus agitatam versare.

Inst. 3. Quia consensus conditionalis non est, sed duntaxat esset, non habet rationem meriti moventis divinam voluntatem ad præmium, sed haberet; ergo ob eandem causam non habet rationem objecti determinantis divinum intellectum, sed haberet.

R. *Disparitas* est; quia *meritum* duntaxat causat, quia in determinata temporis differentia reipsa est; cum si sufficeret, quod posset esse, aut sub aliqua conditione foret, nemo esset, qui non foret dignus præmio, et ob similem rationem demeriti nullus etiam, qui non mereretur pœnam: *cognoscibile* autem movet intellectum divinum ad cognitionem, quia verum est, seu pertinet ad rationem veri; ad quod non requiritur, ut actu existat, cum ad veritatem actus sufficiat, quod objectum se habeat, ut actus enuntiat.

CAPUT II.

DE SCIENTIA DIVINA.

ARTICULUS I.

AN, ET QUOTUPLEX IN DEO SIT SCIENTIA?

139. *Dico I.* Vere datur in Deo scientia, eaque proprii nominis, et perfectissima.

Prob. 1^a. p. Quia manifesta Scripturæ testimonia Deo scientiam tribuunt. *Eccli. 42. 19. Cognovit Dominus omnem scientiam. Esther. 14. 14. Domine, qui habes omnem scientiam. Paulus ad Rom. 11. 33. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei; et ad Coloss. 2. 3. de Christo ait: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi etc. Conf. tum a priori; quia ex aseitate et omniperfectione profluit ac ostenditur, Deo convenire scientiam, utpote perfectionem simpliciter simplicem: tum a posteriori; quia ex ordine ac pulchritudine universi manifeste colligitur architectus perfectissimus, qui sine scientia non est.*

Prob. 2^a. p. Quia scientia proprie talis est certa et infallibilis ac etiam clara et evidens cognitio seu perceptio veritatis seu objecti scibilis; syllogismus autem, cui communiter tribuitur ratio scientiæ, est duntaxat medium, quo intellectus creatus accipit evidentiam, quo tamen Deus non indiget ad illam habendam: et cognitioni rei per causam aut per effectum, quæ scien-